



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

45. An legatum relictum pro orphaniam maritandis possit distribui
habentibus Parentes pauperes, & inutiles? Vbi etiam plura de legatis. Ex p.
4. tr. 4. & Misc. res. 140.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

litatibus prædite sint, quæ in testamento, vel fundatio-
ne requiruntur.

2. Sed circa legata pro Virginitate maritandis,
multa scitu digna inuenies apud Laram de Annuer-
sarijs, lib. 1. c. 21. ubi notat. Primò quòd legatum pro
Virginitate maritandis non patitur commutationem
cum alio pio opere, nisi id faciat Romanus Pontifex
de plenitudine potestatis. Secundo, legatum speciale
alicui nominatæ puellæ relictum pro ea maritanda,
consequitur, si ingrediatur Religionem, & idem vxor
pro relinquatur, si vidualiter viuat. Non tamen ita
erit in legato relictò generatim pro Virginitate, seu
puellis incertis maritandis: nam si accedat aliqua
puella, dicens se velle ingredi Religionem, & lucrari
legatum, non est ei dandum. Tertio, legatum relictum
pro Virginitate orphanis maritandis, potest dari ha-
bentibus patres pauperes, & inuitiles, nisi concurrant
simul Virgines, verè parentibus orbatæ, nam in tali
casu, ista preferendæ sunt illis. Quarto, legatum reli-
ctum pro orphanis puellis maritandis, potest dari
puellis vulgò conceptis, & expositis, quæ etiam paren-
tes habeant, eos demonstrare non possunt. Et hoc
etiam procedit, si legatum relictum pro Virginitate
maritandis, requirat quòd puella sint naturales loci,
nam etiam expositæ consequentur dotem, cum præ-
sumantur esse eius patriæ, in qua expositæ fuerunt. Sed
in hoc casu, puellæ verè orbatæ, preferendæ sunt vul-
gò conceptis. Quintò, legatum relictum si non dicat
pro virginitate maritandis, sed pro orphanis, seu puel-
lis maritandis, ad illud consequendum admittuntur
viduæ. Hæc omnia Lara vbi supra.

3. Nota etiam quòd ipse n. 90. docet quòd legatum
relictum pro virginitate maritandis, potest retineri in
vtrouero foro iustitiæ, & conscientia ab ea, quæ ante
matrimonium, et si opinione esset habita pro Virgine,
in rei veritate non erat: nisi constet relinquente
dictum legatum noluisse dari non habentibus quali-
tatem virginitatis, quòd raro continget; sed si adest
simplex dispositio relinquente legatum, pro orphanis
virginitate maritandis, in tali casu, vt dixi puella,
quæ tempore contracti matrimonij non virgo sed cor-
rupta erat potest secuta conscientia retinere legatum
relictum pro virginitate maritandis. Et ita ego in fa-
cti contingentia consului. Notandum est etiam, cir-
ca præsentem materiam, quòd legatum relictum pro
dotandis puellis, debetur puellis nuptis sine dote, vel
cum modica dote, quia causa pietatis adhuc durat; se-
cus autem, si diceret pro puellis maritandis. Sanchez
vbi supra à num. 63. ita Homobon. de exam. Eccl. p.
2. rr. 9. cap. 10. q. 28. & Genuesis in præll. Eccl. tri-
cent. 1. q. 38. n. 1. qui etiam in q. 387. notat legatum
pro dote puellæ pauperis deberi si illa potest viuere
ex labore suo, & legatum relictum alicui puellæ pro
dote, si factum sit pro anima testatoris, si illa moria-
tur antequam nubat, non extingui, sed deberi alteri
puellæ pauperi. Item si testator iubeat virgines mari-
tate, nec exprimat numerum, fiet electio inspecta qua-
litate defuncti, & facultatibus: vt docet Lara vbi supra
de Annuer. lib. 1. c. 10. n. 97.

4. Aduerte etiam, quòd legatum relictum sceminis,
in matrimonium collocandis, non potest tradi viduis
secundò nubentibus, si tamen non consummassent
primum matrimonium; atque etiam si nullæ extarent
sceminæ nobiles, quibus posset id legatum impertiri,
tunc quidem possent habere legatum. Nal. in sum. ver.
legatum. n. 42. & Sanchez tom. 2. lib. 7. disp. 91. n. 55. 56.
& 57. qui etiam n. 61. notat legatum pro maritandis
non posse conferri, nisi sceminis, quæ sunt ætate nu-
biles, nimirum duodecim annos natæ, & n. 65, aduer-
sus Mantie, de coniect. vt. volunt. lib. 12. tit. 1. n. 12. do-
cet legatum pro certa persona maritanda deberi,
quæuis ea tempore testamenti maritata esset, & à

fortiori, si postea nubat testatore superstite. Item lega-
tum, relictum pro prima filia maritanda, si maior natu
decesserit, & secundogenita prior nupserit, legatum
ei non deberi, copiose respondet Roman. conf. 308.
sed contrarium respondet Imola in conf. 103. At hoc
ex coniecturis determinandum esse, rectè docet Man-
tica vbi supra lit. 8. tit. 7. n. 10.

5. Et tandem pro coronide huius resolutionis, si
legentur Titio ducenta, si vxorem duxerit, centum ve-
rò si Religionem; non centum, sed ducenta consequi
debere, & ita docet Lessius l. 2. c. 18. dub. 15. n. 124. in
fin. Ioan. Valer. in differentijs viris que fori, ver. testa-
mentum diff. 10. Bonacina de rest. disp. 3. q. 1. pun. 4.
n. 10. Rebell. p. 2. lib. 18. q. 16. n. 3. Basil. Pontius de impet.
matr. causa 27. q. 2. c. 17. §. 1. fol. mihi 266. Comitoli. lib.
7. q. 7. n. 5. Beia p. 1. cas. 44. & 66. Rodriq. in sum. 1. 5. c.
240. n. 1. Martha de iurisdict. p. 4. cent. 1. cas. 8. Barbosa
de potest. episc. p. 3. alleg. 83. n. 28. quicquid in contra-
rium asserit Sanchez de matr. tom. 1. l. 1. disp. 34. & alij
penes ipsum, quibus ego addo Villalobos in sum. 2. tr.
30. diff. 29. n. 7. vide etiam præsentem quæstionem ad
partes discussam latè, apud Ambrosium p. 2. dec. 30. per
totam. Cened. in Canon. 97. q. 35. per tot. & Menoch vol.
2. conf. 69. per tot. & alios. Notentur hæc omnia, quia
in nostris Doctoribus non passim obuia.

Sup. hoc su-
pra in Res.
41. §. sexto.
& in r. 9. tr.
1. Ref. 220.
in fine.

RESOL. XLV.

An legatum relictum pro orphanis maritandis possit di-
stribui habentibus parentes pauperes, & inuitiles?
Vbi etiam alia plura de legatis? Ex part. 4. tract. 4. &
Manc. Ref. 140.

§. 1. Negatiuam sententiam mordicus tenet no-
uissimè Thomas Sanchez in Conf. 1. tomo 2.
l. 4. c. 2. dub. 13. n. 2. quia in dispositionibus testa-
mentorum verba proprie sumenda sunt, & alias ratio-
nes adducit, propter quas hæc opinio efficitur satis
probabilis.

Sup. hoc in
Ref. præter.
§. 2. ad me-
dium vers.
tertio.

2. Sed contrariam probabilem etiam esse existi-
mo, quam docui in 2. p. tr. 2. Misicellan. resol. 52. cum
Ildephonso Lara, & ita hæc affirmatiuam sententiam,
me citato, tenet etiam Ioan. Maria Nouarius in editio-
ne nouissima de elect. fori sect. 2. q. 7. n. 3. & ita in praxi
obseruatum scio à doctis Iuriconsultis. Nota etiam
quòd dictus Nouarius docet legatum distribuendum,
siue elemosynam diuidendam inter viduas pauperes,
posse dari mulieribus habentibus viros inuitiles, quia
priuilegia concessa viduis extenduntur ad habentes
viros inuitiles; sed de hoc negat etiam Sanchez vbi
supra.

3. Notandum est hîc obiter primò quòd lega-
tum pro maritandis puellis dari potest etiam viduis,
quando nullæ sunt puellæ ætate nobiles quibus pos-
sit legatum dari, tunc enim ex verisimili testatoris
voluntate ita credendum est ne tam pium opus diffe-
ratur. Ita Aloysius Bariola in Aphorism. litt. L. ver. le-
gatum, qui citat Sanchez de matr. tom. 2. l. 7. disp. 91. n.
56. & 57.

4. Nota secundò contra Panormitanum in capit.
fin. de test. n. 2. & alios, legatum pro fabrica Ecclesiæ
relictum posse expendi pro ornamentis, & alijs cul-
tui diuino necessarijs. Ita Couarruias in d. cap. fin. de
test. n. 4. Altamiranus tr. de visit. §. sed Episcopus, n. 11.
& alij.

5. Nota tertio legatum relictum pro liberatione
in carceratorum, quolibet anno posse expendi in im-
pediendo, ne quis in carcerem detrudatur, quando
certum est proximè detrudendum nisi legato illi sub-
ueniatur. Ita Sanch. vbi supra, in opusc. tom. 2. l. 4. c. 2.
dub. 9. n. 2. vide etiam Molinam in 3. part. 9. §. 3. art. 3.



6. Nota quartò contra Beroum *in cap. de constitut. num. 254*. Peraltam. *in l. cum pater §. à filia ff. de legat. 2. num. 2.* & alios, legatum post quatuor menses, v. g. largiendum pauperibus posse distribui ante diem & tempus designatum. Ita Couartruias *in cap. tua, de testam. num. 5. Padilla in l. vnus ex familia ff. de leg. 4. num. 12.* Marizno *lib. 8. recop. tit. 4. leg. 14. glossa 1. à num. 37. vsque ad 45.* Mantica *de consuetud. vit. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 20.* & alij: & ideo Sanchez loco cit. *dub. 12. num. 4.* docet ex multis, quòd si quis legauit annum censum singulis annis pauperibus distribuendum iuxta beneplacitum suorum testamentariorum, posse ipsos semel totam illam quantitatem cum suis redditibus distribuere, applicando illam, v. g. alicui Hospitali, vel monasterio vt illis fruatur in perpetuum.

7. Nota quintò, legatum factum naturalibus, v. g. Panormi posse dari iis, qui ibi habitauerunt decennio, licet aliunde sint oriundi, si non constet de animo non habitandi ibi perpetuò. Ita Sanchez loco citato *dub. 19. n. 1.* vide etiam Burgol. *de Paz. in leg. 3. Taur. n. 372.*

8. Nota sextò quòd licet legatum relictum pauperibus, dandum sit pauperibus loci testatoris, nisi testator reliquerit heredi facultatem eligendi pauperes quos voluerit. Probabile tamen est etiam simpliciter posse dari pauperibus extra patriam. Ita Homobonus *in cons. mor. vol. 2. part. 5. resp. 29.* vbi citat. Tufchum & alios.

RESOL. XLVI.

*An pro consequitione legati, vt quis dicatur orphanus, debeat carere patre, & matre?
Et puella, quæ habet patrem inuilem, dicatur orphana in ordine ad legata?* Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 164.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè respondendum omnino videtur, quia ille dicitur orphanus, qui caret patre & matre, pro vt communi calculo notarunt Doctores *in l. orphanotrophos, C. de Episc. & Cler. Sicardus in rubr. C. quando Imperator inter pupil. & vid. num. 3.* Rolandus à Valle *lib. 1. consil. 76. num. 46.* Rebuffus *in constit. Francie, tit. de senent. provision. glossa finali, ver. secundo orphani Perez lib. 3. ordinat. tit. 1. lib. 1. ver. item est notandum.* Menochius *de arbit. indic. cas. 66. in addit. num. 7.* Castillo *controuers. iur. l. 1. c. 5. n. 17.* & alij, & in terminis casus nostri Lara *de annu. l. 1. c. 21. n. 32.* pro consecutione legati puellas orbatas parentibus vocat orphanas.

2. Verùm his non obstantibus quoad consecutionem legatorum ego puto satis esse, vt quis dicatur orphanus, si careat tantum patre, & ita hanc sententiam tenet Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 4. c. 2. dub. 63. num. 4.* vbi tamen num. 2. rectè reprobat Paulum de Castro asserentem orphanum esse orbatum matre & ratio nostræ opinionis est: quia dum patrem habet, licet matre careat, non dicitur præsidio destitutus, cum patrem habeat, cuius curæ subest, sicuti è conuerso cum solum matrem habet, dicitur præsidio destitutus, quia non est sub matris potestate, nec mulieres prudentiam habent ad se gubernandas, necdum ad alios; & hæc sententia confirmatur ex Laurentio Valla *in elegan. lib. 4. cap. 33.* Alciato *lib. 1. prætermisurum, in ver. orphanotrophos,* Gregorio Tholosano *in synagm. iuris part. 2. lib. 12. cap. 1. num. 5.* & Gratiano *in discipulat. forens. lib. 4. cap. 666.* asserentibus orphanos vocari illos, qui carent patre, & præsidio paterno; sed an puella quæ habet patrem inuilem,

dicatur orphana in ordine ad legata, iam supra satis dictum est.

RESOL. XLVII.

*An puella exposita in aliqua ciuitate possit consequi legatum relictum pro maritaggio illius ciuitatis?
Et quid, si concurrit cum puella originaria?* Ex p. 3. tit. 6. & Misc. Ref. 63.

§. 1. **D**e hoc casu sæpius interrogatus fui, & affirmatiuam sententiam docet Alphonsus de Lara *de annu. lib. 1. c. 21. n. 78.* vbi sic asserit. Et si annuarius relictum pro virginibus maritandis requirat quòd puella sint naturales loci, adhuc expositæ consequuntur dotem, cum præsumantur esse eius patriæ, in qua expositæ fuerunt. Bart. *l. 1. in fine ff. ad mun. nip. Ioan. de Plateo l. ciues, in fine, C. de incolis lib. 10. & alij.* Ita Lara.

2. Sed mihi magis placet opinio negatiua, quam semper consului, & nunc inuenio illam docere Ioan. Mariam Nouarium *in qq. forensibus part. 1. quest. 101. n. 3.* quia ciues originarij debent alij præferri, & ideo, vt notat Valenzuela *cons. 73. n. 52.* Augustinus Caputius *de regim. reipublica cap. 3. n. 52.* & alij, in electione officialium vniuersitatis originarij præferuntur incolis, hinc etiam, vt obseruat Capiblanco *de offic. Baro. tom. 1. prag. 10. n. 75.* & alij, ciuilitas cuius originis præferuntur ciuilitati cuius domicilij.

3. Itaque ad casum propositum respondendum est, quòd quando ad consequendum legatum concurrunt ciuis originaria, & puella exposita, illa huic præferri debet; & opinione affirmatiua libenter admitto in casu, quo puella exposita non concurreret cum puella originaria; nam si non adsint puella originaria, puto supradictum legatum obtineri posse ab aliqua puella exposita; nam dicitur ciuis illius ciuitatis, in qua exposita fuit, vt docet Angelus *in l. heres absens, §. si quis in relam, ff. de iudiciis.* Boëtius *dec. 15. n. 41. & alij.*

RESOL. XLVIII.

An legatum relictum viduis pauperibus possit dari ab executoribus testamentariis pauperibus vitam calidam gerentibus? Ex p. 1. tit. 3. & Misc. Ref. 8.

§. 1. **C**asus est curiosus, practicabilis, & à nemine quod sciam pertractatus, & prima facie negatiuè videtur respondendum. Primò ex *Fiduc. l. 6. distinct. 34.* vbi vidua definitur quæ sit, cuius maritus mortuus est.

2. Secundo, quia communis vsus loquendi qui maximam in his rebus auctoritatem habet. *l. libe. omni §. quod tamen, Cass. ff. de legat. 2.* viduam illam appellat, quæ maritum habuit, & amisit, non autem quæ celibem vitam egit.

3. Tertio, quia vidua dicitur ab iduo iduas, verbo antiquo, quòd separare, diuidere, priuare significat: Vnde idus appellat diem diuidentem mensem. Hinc, & Horat. *lib. 4. Carmin. ode 11.* ad Phillidem inquit.

Idus tibi sunt agenda

Qui dies mensis Veneris marina

Findit Aprilem.

Vidua igitur dicitur à viro separata, seu orbatam marito, Authore Macrobio *l. 1. Saturnal. c. 5.* & hinc verbum Viduare pro priuare, & orbare *virg. 8. Æneid.*

Tot ferre sana dedisset

Eunera, tam multis viduasset ciuibus orbem.

Et